Q. B. V.

DISSERTATIO SOLENNIS

DE

FEBRIBVS MALIGNIS,

QVAM

EX AVCTORITATE

GRATIOSI ORDINIS,

PRAESIDE

IO. GOTHOFREDO BERGERO,

D. ORDINIS MEDICORVM SENIORE, ET

PROFESSORE PRIMARIO,

PATRONO AC PRAECEPTORE AETATEM COLENDO,

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES

P. P.

IO. CHRISTIANVS WOLFF,

SERVESTA-ANHALTINVS

IN AVDITORIO MAIORI

A. D. VI. APRIL. cIↄ Iↄc XCVI.

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM

SOLITIS.

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI KREVSIGII, Acad. Typogr.

DE FEBRIBVS MALIGNIS DISSERTATIO SOLENNIS.

I.

EST qvoddam genus febrium, qvod insidiis hominem appetit, & clanculum oppugnat, motumqve pariter cum moribus mutat, & signis in speciem fallacibus fidem sibi præstruit, ut cum mercede magna fallat. Κακόηθες & malignum vocarunt Medici, verbo ab istis hominibus translato, qvi vafri ingenio, ac fraudulenti, aliud, ut nonnemo dixit, in lingva promtum habent, aliud pectore clausum gerunt, adde, rebus factisqve præstant. Tales etiam apud Græcos παλιμβόλους nominari meminimus. A qvorum imitatione nomen mutuati sunt cum ceteri morbi, qvi, uti *Galenus* enarravit, speciem levationis mentiuntur, cum intus maligni sint, tum eæ præcipue febres, qvæ simulata bonitate, cum parvæ mitesqve videantur, spem qvandam levati morbi ostendunt, eoqve securius ægrotantem simul ac Medicum, utrumqve opinione & pollicitationibus delusum, frustrantur. Qvo fit, ut cujus saluti principio nihil timuit medicus, & aliud agendo cavit, eum jam, facta rerum commutatione, extremum capitis discrimen adiisse, circum-

Comm. Aph. 16. sect. 6. L. 6. Epidem.

 ven-

ventus doleat. Nec rem miser ullo consilio expedit, qvæ in eum locum fraude adducta est, ut brevi exitus aperiat, cum recta ratione, qvæ sero in consilium ascita est, insanivisse, qvi in desperatione spei artisqve momentum posuerit. Qvare reliqvum est, qvo laboris sui fructum conseqvatur, Arabum dictum: Pulsus bonus, urina bona, æger ad interitum contendit.

II.

Atqve hunc tam callidum hostem, qvotusqvisqve est tam securus, qvin & nosse, & cavere velit? Qvo circa, ut utriqve rei serviamus, annitemur, qvoad facultas suppetet. Verum in tanta argumenti amplitudine ea solum deligamus licebit, qvæ potiora *febrium malignarum* capita complectuntur, ceteris in aliud, qvod differendi causam inferat, tempus locumqve reiectis. Nam aut magnopere fallor, aut hæc demum illa materiæ difficultas est, qvæ ut cladibus casibusqve plurimorum insignis extitit, ita sui pervestigatione multorum industriam, si non fregit penitus, certe fatigavit.

III.

Rationem igitur instituti, qvod paucarum sit paginarum, ita commode ineamus, ut initio ad ea, qvæ sub sensum cadunt, animum adiiciamus, atqve adeo hoc nixi gradu, & ratione adiuti, amplius ingenium causasqve mali interiores percunctemur. Refert ordinis in his, qvæ sensu constant, primum ad signa, in ortu progressuqve morbi data, respici, ne, qvod præclare, ut multa, *Sennertus* noster submonuit, vel febris, qvæ maligna non sit, pro talihabeatur; qvod multos sæpe imprudentes fecisse, recordamur, qvi vixdum continuæ, aut acutæ febris, nominibus auditis, malignam febrem temere interpretati sint: vel si

de febr. IV. 10.

talis

talis acceſſerit, ſegniter negligatur, & radicibus altis ante, qvam cognoſcatur, defixa, victoriæ ſpem præcidat, & cum medicum in ruborem det, tum laborantem exſtingvat. Eqvidem haud abnuerim, in tanta cauſarum diſſimilitudine, atqve in tam diſpari corporum humorumqve conſtitutione, non eadem iisdem ſymptomata obvenire, ſed alia alios inceſſere, ac febres, qvæ ſeparatis temporibus emergunt, ingeniis moribusqve admodum differre. Neqve eo ſecius non conſtat, adiungi iisdem qvosdam individuos comites, qvos ſigna pathognomonica appellamus, ex qvibus malum febrium morem probe condiſcas, cum qvidem notas has univerſas & ſingulas gnaviter perpenderis. Neqve enim ejusmodi febri corripi qvem temere videris, qvin de, neſcio qva, laſſitudine, cujus cauſam ipſe ignoret, de langvore corporis, ac dolore qvodam capitis, vel gravitate, de faſtidio ciborum, minusqve promta ad rem gerendam habitudine, qvam ipſe non definierit, etiam aliqvot ante diebus, conqverentem audieris eundem. Atqve hos tumeſcentis mali interpretes ſagaces & providi præclare intelligunt, præſertim cum alios eodem teneri morbo conſtat; atqve adeo conſilio & ope imminens periculum occupare ſtudent. Alii minus circumſpecti nil qvidem minus, qvam gravius malum, extimeſcunt, planeqve ſalutis ſuæ ſecuri, ſæpe idem ſecum diu ſatis circumferunt, aluntqve atqve augent, qvando non diætam magis, qvam medicinam flocci pendunt, aut ſi qvam medicinam adhibent, tamen minus convenienti & vel ciendo appetitui, vel mitigando dolori profutura, utuntur. Qvare occaſionem agendi opportunam amittunt, & morbi vires confirmant, eoqve graviorem ſecuritatis pœnam luunt.

IV.

Nam ubi qvis horrore perfunditur, is implicitus iam morbo eſt. At is lenior plerumqve præcedit, & dorſum tantum, atqve extrema membra perſtringere videtur. Sæpe qvoqve parum, aut vix, ſentitur. Interdum autem gravior eſt, ſenſumqve frigoris per corpus univerſum dimittit, ac nonnunqvam rigoris qvid affert. Inde calor, vel repentinus, vel ſenſim paulatimqve excitatus; raro qvidem magnus, ſæpius levior & minus urgens, adeo qvidem, ut interdum de ipſo vix conqveri hominem audias. Defeſſus tamen & deſes, in ſpeciem non adeo æger. Inqvietus eſt, & capite, ac membris veluti conqvaſſatis, & confractis dolet, crebrius, incitatius, ac ſæpe vehementius ſpiritum ducit, & de angore animi, inprimisqve de præcipiti oppreſſione virium, illarum maxime, qvæ motum tuentur, & inſtaurant, conqveritur. Qvæ qvidem indicia mirari, & in ſuſpicionem mali vocare convenit, cum citra rationem initio morbi extent, neqve ab immoderato calore, qvi lenior eſt, nec diu affligit, proficiſci videantur. Adhæc pulſus freqvens qvidem, minus tamen vehemens eſt, ſed naturali ſimilis, aut parum ab eo diſcrepans. Lanqvidus tamen nonnihil, aut debilis, & minor: tum aliqvando formicans, ut dicitur, minimus, & creberrimus: rarior etiam & percerta intervalla remittens, ſtatisqve denuo ad aliqvot temporis puncta vicibus recurrens. Inæqvalis utplurimum, & varius. Urinæ ſanorum ſimiles, aut parum ab iis differunt. Aliqvando tenues, & crudæ, nullumqve ſedimentum continent, aut ſi qvod habent, illud excremento potius ſimile eſt. Interdum vero craſſæ, coloratæ & turbidæ, craſſum, rubrum, ac turbidum ſedimentum habentes. Nauſeant pleriqve, & faſtidiunt cibos, adeo qvidem, ut perire malint,

qvam

qvam comedere aliqvid. Interdum vero, ut Proteum qvendam hic morbus varietate refert, appetitus constare videtur, ut appetant alimenta, sed oblatorum parum, vel nihil sumunt. Et vero qvi ita afficiuntur, hi faucium patiuntur molestias, in qvas tamen inspicientibus vix qvidqvam apparet mali. Accusant ariditatem oris, & tussiculis inanibus, ac vomitione tentantur insolita, subinde biliosorum, sæpe etiam variorum humorum. Hinc cardialgia qvoqve, & singultu impediri solent. Obmurmurat sæpe venter, & hypochondriorum, præcipue sinistri, dolor infestat, qvi per lumbos secundum spinam dorsi ascendens, lancinansve, ad scapulas qvandoqve extenditur. Alvus aut suppressa, aut tarde reddita, aut biliosa, foetida, atqve graveolens. Sangvinis e naribus, uterove stillicidium, vel fluxus copiosior subinde concurrit. Sudores nulli, vel freqventes, aliqvibus parcius, qvibusdam largius, & vel toto corpore, vel in fronte tantum, circa tempora, ac collum, & in pectore manant, qvi & frigidi sæpe ad tactum. Augentur dolores capitis, & acerbissimi sæpe fiunt, modo vagi, modo infixi, qvi oculos qvoqve infestant, & cum vertigine sunt coniuncti. Non raro vigiliæ affligunt, subinde vero in somnum magna fit propensio. Insomniis anguntur turbulentis, corporisqve inqvietudine, anxietate & jactatione freqventi, ita ut huc illuc se impatientes transferri jubeant, neqve uno in loco consistere possint. Frigent sæpe extrema, dum interiora, ac præcordia præsertim, uruntur: Unde sensus aliqvando caloris maximus, cum tamen ad tactum vel nullus, vel parvus adsit. Calor autem etsi initio mitis occurrit tangenti, qvo tamen diutius tangitur, eo acrius ferit. Nonnunqvam etiam exacerbationes caloris fiunt, extremaqve valde æstuant. Nihilominus horror freqvens etiam in æstu fatigat.

gat. Interdum ita conqviefcit calor, ut vix fe febricitare æger exiftimet. Sitis tamen excruciat, & vehementia modum caloris fuperat. Lingva fit arida, livida, punicea, afpera, fcabra & fiffa. Sæpe etiam fordida, & una cum faucibus, atqve dentibus, muco qvodam tenace ac lento, & vix ægreqve fecedente, five collutione, five chirurgi manu tentetur, obducitur. Accedit magnus interdum tumor, & non levis cum illius, tum vicinarum partium inflammatio.

V.

Inter hæc corpus mirum in modum extenuari videas, ipfumque hominem fui valde diffimilem fieri, & cum animo moefto ac pleno malæ fpei laffum, fegnemqve. Vires enim paulatim omnes franguntur, non eæ folum, qvæ motum retinent, fed etiam illæ maxime, quæ fenfuum actionibus & paffionibus funt neceffariæ, tam externorum, quos vulgo vocant, quam interiorum, ipfiufque adeo animæ facultates & operationes. Crebra animi defectione, & interdum fyncope tentatur, fæpeqve inexpugnabili dormiendi urgetur cupiditate. In ipfa vero in fomnum inclinatione vel manum, vel crura movet, corpusqve nudat, varioqve modo nonnunqvam ejicit, & repente, qvafiqve defipiens exilit. Expergefactus anxius eft, & vultum oftendit tumulentorum more, ferocem atque incertum, acerrimis & torvis oculis diutius in unum locum intuens. Interrogatus difficulter refpondet, & tarde, nonnunquam autem fuapte fponte loquitur, fed incondita fæpe, nec cohærentia cum mente, & perturbate inepteqve nugatur. Faucium afperitas magna, & inter fpirandum ftrepitus cannæ pulmonum, vel tracheæ arteriæ, qvædam etiam murmura in gutture, miræqve interdum undulationes

nes exaudiuntur. Hinc balbuties cum ſtupore exiſtit. Sitis nulla, qvæ antea ſæpe intolerabilis erat, neqve ullo, qvamvis largo, potu reſtingvi poterat. Dolor nullus. Collectis aliqvantiſper viribus, animo videtur magis confirmato, ac expedite, & vi qvadam e lecto proſilit, & ſubinde impetu qvodam præceps, horribili vultu in adſtantes ſe immittit. Repoſitus in lecto membra varie jactat, nec qvieta habet, & variis ſubinde ſpectris atqve phantaſmatis exterretur. Interdum furor ita intenditur, ut ſibi ipſi & aliis violentas manus inferat. Accedunt motus convulſivi, ac initio qvidam tantum manuum tremores obſervantur, & in carpis tendines contrahi leviter, alibiqve etiam muſculi palpitare deprehenduntur. Qvibus deinde graviſſimi ſuperveniunt ſpasmi, & ſæpe horrendi, vel in partibus oris, aut faciei, vel in manibus, pedibusqve, aliqvando etiam univerſi corporis, qvibuscum per plures ſæpe dies miſerrime conflictatur.

VI.

Tanta eſt malorum Lerna, tam infinita prope, & peſtifera multitudo ſymptomatum, qvæ unum morbum proſeqvuntur, & motum caloremqve febrilem longiſſime ſuperant, ac demum ipſa inter ſe contendunt. Ac tametſi qvædam eorum in febribus qvoqve ceteris, alia quidem in aliis, atqve ardentibus præcipue, interdum eveniant: hic tamen plerumqve tanqvam furore percita confeſtim involant in hominem. Et qvemadmodum plerisqve hujus moris febribus ea coniunctio ſymptomatum familiaris eſt, ita pari fere modo, nec diſſimili, qvam commemoravimus, ordine, ſuperiore, & quod excedit, anno hic loci funeſta luctuoſaqve ſpectacula eam exhibuiſſe, a Nob. Præſide accepi. Sunt tamen amplius ſymptomata plurima, quæ

illis febribus interdum accidere videas. Qvæ qvidem omnia huc referre non placet, nec vacat, cum non in omnibus eadem occurrant, ſed pro varia tempeſtatum corporumque temperatione, alios alia divexare ſoleant. Ac nihil ſæpe mali eſt, qvod non cum febribus hiſce interdum immigret; & quo tutiora foris omnia videntur, hoc magis intus omnia convulſa ſunt, ac metuenda. Qvibus quidem accurate recenſendis nemo fortaſſe, quod mirari convenit, *Danielem* noſtrum *Sennertum* ſuperet. Nec vero negligenda ſunt, quæ ſæpe cuti inuruntur, malignitatis ſtigmata. In qvibusdam enim exanthemata, ſive maculæ, ſubinde purpureæ, nonnunqvam lividæ, interdum nigræ, aliqvando virides, vel cœruleæ, aliterve coloratæ, paucæ, copioſæve, in diverſis corporis partibus, præcipue in dorſo, brachiis, cruribus, & pectore, culicum morſibus ſimiles, aut minores, nulloqve tumore extuberantes (quas petechias vocare ſolent) interdum majores, vibicum inſtar, aliquando ampliſſimæ, et integras corporis partes complexæ, efflorefcunt. Atque illæ quidem rarius inter initia morbi, potiſſimum circa ſtatum erumpunt, interdum tardius, nonnunquam poſt mortem demum. Aliquando etiam variolæ & morbilli, puſtulæque interdum minimæ, vix miliares, modo rubræ, modo albicantes ac pellucidæ, quas appellant purpuram, conſpiciuntur. Interdum etiam tumores, modo poſt aures, modo ſub alis, & in ingvinibus enaſcuntur.

l. c.

VII.

Qvare intelligi poteſt, malum, quem deſcripſimus, morem, ſuperare incendium febrile, eumque in continuis præcipue, iisdemque acutis, obſervari, cum non ſolum do-

lose

loſe fraudulenterque invadant, ſed etiam in præceps vitæ periculum ægrotantem conjiciant, brevique finiantur. Unde intelligamus, non illico febrim malignam dicendam eſſe, quæ, quod placere nonnullis video; vel vires ſtatim dejiciat, vel graviorum ſymptomatum ſtipata ſatellitio, generoſis etiam remediis minus cedat, ægrumque interimat. Quippe cum omnes acutæ febres periculoſæ, multæque lethiferæ eſſe conſueverint, etiamſi nota malignitatis careant; nec contra, omnes malignæ lethiferæ ſint, ſed ſæpe ſalutarem exitum habeant. Id quod ſcite *Galenus* animadvertit, cum, morbos malignos, inquit, vitæ periculum minari, ſpem vero ſalutis non adimere. *Prorrhet. S. 1. t. 14.* Atqui præcipitem virium lapſum in omni deliquio animi, choleris, hæmorrhagiis, & ſimilibus obſervamus, quas tamen ægrotationes nemo temere malignas dixerit. Idem de febri ardente judicandum eſt, etiamſi incendio exurat corpus, & graviora habeat conjuncta ſymptomata. Et qvis tandem apoplexiam fortem, tetanum, & ejus generis morbos acutos, citam afferentes necem, malignos appellaverit? Ita vero quilibet morbus, qvicunqve ægrum ſubinde periturum corripit, malignus dicendus foret, qvam vocis notionem minus uſitatam eſſe, notum eſt optime Medicorum filiis. Neqve tamen refragabor valde *Sennerto*, *l. c.* & *Petro Salio Diverſo*, & aliis qvibusdam doctiſſimis Viris, qui febres quoque intermittentes aliqvando malignas ſeſe obſervaſſe, teſtantur; *de febr. peſt. c. 10.* quippe cum quilibet paroxyſmus febrium interpolatarum febris acutæ more curſum ſuum abſolvat. Id vero inter rariora referendum eſt, nec fere, niſi de tertiana, præſertimqve duplici, annotatum invenies. Quamquam verear, ne febres interdum ſcorbuticæ, in quibus convaleſcentibus maculæ emergunt, qvibus-

dam malignæ videantur. Quemadmodum haud raro frequentiores accesſiones, deceſſionesque, ac recurrentes ſubinde horrores incautis imponere ſolent, ut continuam pro intermittente habeant. Quod de ſemitertiana, qvæ hemitritæos dicitur, jam olim *Celſus* admonuit. *L. III. c. 9.*

VIII.

Nec vero conſtitutum nobis deliberatumqve eſt, omnia omnino febrium malignarum genera, quæ vel ab exanthematibus, vel ſymptomatis quibusdam urgentibus, alio atqve alio nomine appellari ſolent, ſigillatim perſequi, cum de febre maligna generatim nos agere profiteamur, Nihilo ſecius hoc loco prætereundum non eſt, hæc diverſa febrium malignarum genera fere gradibus tantum, & uno interdum, alterove accidente, differre, & nunc aliquibus, nunc pluribus vehementioribus ſymptomatis, quod ſupra dictum eſt, naturam oppugnare; quarum ſummum qvidem & altiſſimum gradum febrim peſtilentialem non ſine ratione conſtituas. Neqve enim aliud peculiare occurrit, quod miremur in febre peſtilenti, præter contagionem, cujus vi gliſcit illa indies, ſerpitqve, & urbes cladibus funeribusqve devaſtat; cetera vero malignis plerumqve febribus ſunt communia, Ut appareat, febrem malignam privatam, cum ejus eſt naturæ, ut ad plures contagio dimanet, multosqve eorum, quos veneno ſuo aſpergit & inqvinat, enecet, popularem & peſtiferam fieri poſſe. Neqve enim negari poteſt, febri malignæ omni contagionem adiungi, modo minorem, modo ferociorem. Qvamvis non ſemper æqve manifeſto ſe prodat, nec peſtilentis veneni vires perniciemqve exæqvet: Cum inter illos morbos, qui contagioſi appellantur, magnum in facultate inquinandi discrimen reperiatur, ut *Fracaſtorius* egregie oſtendit. Verum

L. de morb contag.

rum illud ſupremis tantum lineis deſignaſſe ſuffecerit, cum infra ea res pluribus explicanda ſit. Hic autem præterea commemorandum eſt, quod multi præclari viri, qvi mortiferæ contagionis vim effectusqve ipſimet obſervatione, & multa cum in langventibus experiundo, tum in mortuis exta inſpiciendo, animadverterunt, annotarunt: Non aliter peſtilenti morbo affectos discruciari atqve emori, atqve illos, qui febre, in qva verſamur, pereunt. Immo vero diſſectione cadaverum edocti ſunt, iisdem prorſus ſignis notisqve inuſta eſſe eorum viſcera, quos ſeu peſtilentia, ſeu maligna febris peremit. Qvippe utrobiqve videant licet ventriculum, inteſtina, præcordia, & omnia plane viſcera purpureis, aut liveſcentibus puſtulis undiqvaqve conſperſa, & gangræna correpta; ſangvinem in dextro præſertim cordis ventriculo, ipſisqve vaſis concretum, atqve in duriuſculam & polypoſam maſſam coactum. Ceteris omiſſis, unum nominari ſat erit magni nominis Medicum Neapolitanum, *Thomam Cornelium Conſentinum*, qvocum pariter *Progymn. p. m. 468.*
eius, qvoad vixit, amicum qvondam coniunctiſſimum, Se- *Obſ. A. & Ch p. 110.*
nem non minus a iudicio, qvam harum uſu rerum inſtru- *de Semit. I. 14. 16.*
ctum, *Leonardum a Capua*, idem ſæpenumero obſervaſſe, ex *de Hemitr. peſt.* *de Lue Hung.*
ſermone cum eo ultro citroqve habito Nob. Præſes recor- *Ep. de polyp. cord.*
datur. Nec vero huc non qvadrant, qvæ ſuis qvisqve tempo- *Th Barth. c. III. ep. 2:* *Digr. de feb. mal.*
ribus *Volch. Coiter*, *Cornel. Gemma*, *Mart. Rulandus*, *Sebaſt.* *de Polyp. cord.*
Piſinnius, *Caſp. Bartholinus*, *Sim. Pauli*, *Marcell. Malpighius*, aliiqve obſervarunt, qvi ſangvinem & viſcera malignis febribus extinctorum rimati ſunt.

IX.

Atqve hæc qvidem omnia inſigniter valent ad naturam mali probe intelligendam. De qva tamen anteqvam quid ſentiamus, complectendæ nobis ſunt cauſæ, qvas vo-

cant, evidentes, & procatarcticæ, in quantum illæ ſenſibus ſunt expoſitæ, ut deinde ad cauſas interiores, & abditas deſcendere poſſimus. Principio diuturna apud omnes gentes experientia compertum eſt ac comprobatum, ſæpenumero eas febres a communi omnium pabulo, aere, proficiſci, cum is vel qvalitatum ſuarum immodica vi, vel variis anomaliis, magnisqve temporum ac tempeſtatum mutationibus, aut noxiis inqvinatus ſordibus, vel minus convenienti deniqve motu in corpora ſeſe ingerit, ſuccosqve aliter atqve aliter afficit. Qva ratione non malignas tantum privatas, hunc illumve corripientes, ſed etiam epidemias præcipue conflari conſtat, qvæ plurimos ſimul adoriuntur, & longe lateqve ſolitudinem faciunt. Inter quas horrorem incutit annalium memoriam replicantibus, qvæ ſeculum ſuperius præceps inſignivit, nec vero aliqvot tantum millia hominum deiecit, ſed univerſam prope Europam afflixit. Namqve ab Auſtro orſa, primo Pannonas, Bojemosqve experta eſt. Poſt Francos, qua ad orientem ſpectant, Thuringos & Saxones fatigavit, Belgas item Britannosqve attrivit, ac omnes fere Europæ gentes, ſpatio ſex hebdomadum citato curſu pervagata eſt, tantoqve furore graſſata, ut vix viceſimus quisqve morbi hujus expers fuerit, & qui fuit, aliis miraculi loco eſſet. Eam vero pleriqve medicorum morbum novum, & catarrhum febrilem, vel febrim catarrhoſam vocarunt, quod *Ioh. Bockelius* tradit eodem loco, quo plurimos eadem febri correptos, convaluiſſe tamen ſubmonet. Qvi qvidem morbus ſine dubio ſordibus quibusdam ſuſceptis in aëre, & collectis, lateqve peregrinantibus ortum ſuum debuit. Idem enim illud fœdati cœli vitium eſt, cujus cauſam e Græcis Hippocrates in *miaſmata*, & cujus doctrina uſus idem eſt, Demo-

Synopſ. nov. morb.

mocritus, in *atomos*, & qvi princeps de rerum natura Latine ſcripſit, T. Lucretius in *ſemina* contulit. Neqve id iniuria, ſi ad lutulenta hæc corpuſcula animum attendamus. Quæ quidem graves e locis paluſtribus & lacubus exſpirationes, & olerum, leguminumque, ac cadaverum inſepultorum, corruptorum & computreſcentium, putridæ auræ pariunt. Perinde ac cum Hunniades, fuſo profligatoque ad Belgradum Mahomete II. gravem Turcis cladem intuliſſet, nec corpora, qua conveniebat ſepeliendi feſtinatione, illata fuiſſent, quemadmodum *Bonfinius* & *Thuroſius* *Comment.*
tradunt: atrox lues, lateque pervagata, qua etiam ille *rer. Hun-*
Chriſtianorum finium clariſſimus defenſor abſumtus eſt, *gar.*
Belgradenſes oppreſſit. Nec minora incommoda terræ motus afferunt, qui cavernas aperiunt, & ſordes diu deliteſcentes excutiunt, quibus aer conſpurcatur, & vitium facit. Fodinæ etiam, ſpecus, barathra, cloacæ, putredine ſua & purgamentis cœlum, ſub quo ſpiritum ducimus, polluunt.
Multa enim (præclare inquit *Seneca*) *mortifera in alto la-* *Nat. quæſt.*
tent, ac aër ipſe, qui vel terrarum culpa, vel pigritia, & æterna *VI. 28.*
nocte torpeſcit, gravis haurientibus eſt, vel corruptus internorum ignium vitio: cum eſt longo ſitu emisſus, purum hunc liqvidumqve maculat ac polluit, inſuetumqve ducentibus ſpiritum affert nova morborum genera. Quid quod aquæ inutiles, fœtidæ, peſtilentesque in abdito latent, ut quas nunquam uſus exerceat, nunquam aura liberior verberet, craſſæ itaque & gravi caligine ſempiternaque tectæ, nihil niſi peſtiferum in ſe, & corporibus noſtris contrarium habent: aër quoque qui admixtus eſt illis, quique inter illas paludes iacet, cum emerſit, late vitium ſuum ſpargit, & haurientes necat. Neque alia eſt cauſa, quamobrem in Italia, præſertimque in Romano & Neapolitano, agris febribus e-

jus-

iusmodi æstivo & autumnali tempore corripiantur, qui iter per eadem tempora faciunt, atqve ex una in aliam regionem transeunt. Nam abundant illæ regiones fodinis & secturis, iisqve variis, ferri, æris, vitrioli, sulphuris, bituminis, aluminis, salinis: quin & emittit undiqve pessimos halitus terra, non ubiqve similes, qvibus aër varie afficitur. Ut sileam stagnantes aqvas, lacus, paludes, mephites, sulphurarias, aqvasqve thermales innumerabiles. Unde varii, diversiqve generis sordibus aër inqvinatur, variæqve corpora intrantem corruptelæ conseqvuntur.

X.

Non minus tamen febres malignæ aëris qvoqve anomalias atqve immoderatas affectiones interdum seqvuntur. Cuius fortasse generis fuerunt febres, qvæ anno 1616. post insignem & hisce regionibus insolitum æstum, universæ fere Germaniæ epidemiæ, in hoc certe oppido tam freqventes fuerunt, ut nulla domus reperiretur, in qva non ægri decumberent, imo tot ægrotarent, ut in nonnullis ædibus vix unus & alter sanus esset, qvi reliqvis ægrotantibus ministrare posset. Qvanqvam vero & epidemiæ erant hæ febres, & contagione afflabant, tamen sexcentesimus vix conficiebatur, atqve adeo pestiferæ hæ febres non erant; ut legimus apud *Sennertum* nostrum, diligentissimum & accuratissimum illorum morborum observatorem. Eodem referamus licet pestilentem morbum, qvem vitio aëris calidissimi & siccissimi, totam peragrasse Asiam, hincque in Græciam traiecisse ex Thucydide novimus. Nec dubito, quin febris illa maligna, qvæ anno superiore hic, aliisqve locis, vicinis & remotioribus, non paucos gravissime affligebat, ab humido frigidoqve cœlo initium repetiverit. Qvippe cum caliginoso & nebu-

l. c.

nebuloſo aere, per duos menſes integros continui & effuſi imbres antecederent & corpora relaxarent; poſtea concreto, nec purgato ventis aëre, frigora intenſa eadem adſtringerent vehementius, & comprimerent, introque rejicerent difflandos exſpiratione humores, vitalemque adeo circulum non uno modo offenderent. Id quod ſuo quidem malo experiebantur, qui minus providi, vel itineribus, vel nocturnis decurſionibus aëri corpora exponebant. Et qvantam ſubitæ eius mutationes vim habeant ad efficiendam malignitatem febrium, eos teſtes evocamus, qvi Ungariam adierunt. Ex quibus vulgo comperimus, eos, qui in Pannoniis adulta æſtate noctu humi conquieſcunt, morbi caſtrenſis diſcrimen adire, febrisqve incommoda non declinare. Neqve enim falſo, qvicunqve rentur, terræ ſitum ſqualoremque nocturni frigoris vim augere. Febris autem Ungarica appellatur a loco natali.

XI.

Neqve vero minus notum eſt, etiam ex victu, eoqve præſertim communi, febres has exoriri. Qvo pertinent potiones aquarum ſtagnantium, corruptarum & verminoſarum, ac putridi zythi. Exempla privata ut taceamus, fidem faciunt annonæ caritates, qvarum non raro pediſſeqvam malignum & peſtilentem morbum eſſe, *Heſiodus*, experientia magiſtra, confirmat: λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμὸν, famem ſimul & peſtem. Tum & perverſa diætæ ratio, & neglectæ vivendi leges. Qvo fit, ut inopes, gulones, luxurioſi, ſordidi, ac miles præſertim gregarius, febribus his mali moris non raro impediantur. Tanto minus mirari convenit, eas in caſtris præcipue, & longis ac difficilibus urbium obſidionibus ſævire, quum hic non tantum congeſti ex inſolito *E. 241.*

C pra-

pravoqve victu corrupti cujusvis corporis ſucci noceant; verum etiam contagio, ex illis humorum corruptelis, & foeditate aëris, qvam ægrotantes, mortui & inſepulti, ac reſervata cumulataqve tot excrementa, atque aliæ compu-trefactæ feces afferunt, perpetuo gliſcens & corroborata, accedat, lateqve propagetur. Id qvod intelligendum etiam eſt de febre qvavis maligna, qvam per contagionem ſæpe ex homine in hominem commigrare, notius eſt, qvam ut dici debeat. Qvanquam id non peræqve ſemper fieri ſolet, cum, qvod ſupra diximus, gradibus aſcendat id malum, aliudqve facile, aliud ſegnius inficiat.

XII.

Longum eſt cauſas omnes, qvibus febres mali moris excitari novimus, juſto ordine perſequi, & ſubjectis exemplis ſingulas declarare, præſertim cum illud qvoqve conſtet, immodicis, diuque vires defatigantibus animi & corporis commotionibus easdem nonnunquam arceſſitas fuiſſe; aliqvando retentis ſordibus corporis & impuritatibus, vel rejectis etiam, profuſisque ſuccis vitalibus & elaſticis, idem malum contractum. Qvare ſummatim notari refert, malignas febres non tantum ex communi aliqva cauſa, & vel contagionis, vel aeris, victusqve pravi, aut venenorum culpa, proficiſci; ſed etiam haud raro ex cauſis aliis, intus, ipſoqve in corpore genitis, corruptionem tantam concipere corporis noſtri humores, ut venenatam & pernicioſam labem induant, & adverſi contrariique naturæ noſtræ evadant, & febres malignas procreent. Ut non inſcite qvis cauſas fortaſſe has omnes in propriæ ſubſtantiæ corruptis humoribus, aut alienæ ſubſtantiæ admixtione poſuerit. Neque enim hoc loco accedimus *Fr. de le Boe Sylvio*, qvi veterum qvorundam partes tuitus, febri-

Prax: I. 33.

um

um malignarum omnium fomitem extrinſecus qvæſivit, & per ſe in corpore ex corruptis ſua ſponte humoribus unquam enaſci, negavit.

XIII.

Qvo vero propius ab re abſimus, id qvidem cum æqvis ingenuisqve rerum æſtimatoribus extra controverſiam ponimus: omne vitium, ex qvacunqve demum cauſa febris maligna emergat, ſive communis ea fuerit, ſive privata, intusqve ſuſcepta, in ſangvine ineſſe, & mortem, vimqve ſymptomatum omnem ex illius corruptione pendere. Sanguinem intelligo, vitæ fontem, iſtumqve purpureum laticem, qui ex corde per varias arteriarum propagines quaqvaverſum in omnia corporis membra dimanat, & cerebro nervisqve ſuccum elaſticum, ac partibus ceteris convenientes cuique humores dilargitur, & per venas, rubicundas juxta atque albas, ad idem, unde venit, principium perpetuo refertur, qvoad vivimus. Quem quidem affici non minus febris, quam maligni moris natura arguit; quorum malorum utrumque non aliunde, quam ex ſangvine vitiato dimanare poteſt, quamvis difficile dictu ſit, in quo vitium ejusdem & corruptio conſiſtat. Corrumpi autem dicimus ſangvinem, non qvod oculorum iudicio putris ſit, ſed quia longius a naturæ lege diſceſſit, quam in febribus aliis evenire ſolet, & evanidus tandem factus, ad putredinem omnino contendit. *Hippocrates* ſcripſit, morbis his divini quid adeſſe, qui in obſcura eorum ratione, qvicquid admirabile erat, modumque ingenii humani excedere videbatur, divinum id, ſive τὸ θεῖον, modeſtiæ cauſa nominabat. Id quod per vim venenatam, eamque occultam, complures eorum, qui ante nos vixerunt, interpretantur, noſtrorum autem multi, qui perſpicaciore

videri volunt, alii qvidem per ſalem acrem, volatilem, ac diſſolventem, alii autem per ſalem acidum, eumqve coagulantem, pro more ſeculi, qvod in cancellos Aſclepiadeos redigere artem conatur, exponunt. Qvibus, cum ſibi prorſus ſint contrarii, iſtam ſuam interpretandi facultatem relinquimus, probe gnari, in ea naturarum ac fermentorum morbiferorum varietate, qua humores variis modis turbari, ac vel diſſolvi, vel coagulari, aliterve corrumpi poſſunt, non minus acidum, quam alkali, ut appellant, haud raro immerito accuſari.

XIV.

Veruntamen ſi cuncta phænomena, tam ea, qvæ ægrotantibus eveniunt, qvam quæ in defunctis deprehenduntur, diligenter expendamus, omnino, ſi recte judico, fatendum erit: his in febribus a cauſis, qvas commemoravimus, & ſi quæ dantur aliæ, iſtam æquabilem ſanguinis miſturam, texturamqve globoſam, a qva vita pendet, ita turbari atque perverti, ut partes gelatinoſæ & craſſiores ſe mutuo facile implicent, ac in lentorem, fibrasqve concreſcant, eiectæ autem extra mixtionis ordinem, & circumvolitantes, qvæ illis antea interjectæ, totam intus globulorum molem placide agitabant, mobiliores, igneæ, atqve elaſticæ particulæ, ac in lentorem arietantes, irruentesqve, aſſidua concuſſione eiusmodi malignam fermentationem, qua circulus vitalis graviſſime turbatur, in univerſa ſanguinis maſſa, accendant. Ab hoc enim inæqvali, lento, ac fermenteſcente liqvido, ejusdemqve agitatione diverſa, omnia ſymptomata, qvæcunqve malignis obvenire diximus, proficiſcuntur. Ac laſſitudo qvidem & gravitas corporis, qvam crebro præire dictum eſt, qvid aliud indicat, qvam vividam ſanguinis expanſionem, atqve hinc deriva-

rivationes & secretiones humorum, succumq; adeo cerebri &nervorum, qui elaterium in musculos immittit, sensim deficere. Qvod sangvinis vitium cum eousq; crevit, ut partes lentescentes naturalem mixtionis ordinem, circulumqve vitalem turbent, tum ipsa symptomatum chorea incipit. Et qvodam horroris vel frigoris sensu homo afficitur, cum lentor sangvinis ad arterias capillares hærens, igneas particulas, calidamqve per poros corporis exspirationem cohibet, donec illæ unita vi, motuqve concitatiore (qvando qvietis impatientes sunt) lentoris obstruentis claustra perrumpant, aut dissolvant, secumqve in venas abripiant, istaqve vehementiore commotione caloris æstusqve sensum excitent. Qvi qvidem pro varia lentoris, ignei vigoris partes implicantis ac detinentis, copia varie temperatur, & nunc mitior, nunc gravior est, subinde etiam horrore permistus, neqve in omnibus semper partibus æqvalis, cum necessarium non sit, ut ubiqve æqualiter in vasis sanguis sit solutus, sed in aliis maiore, in aliis minore lentoris fermentescentis copia perfundi possit. Hinc vero etiam anxietates & inqvietudines exoriuntur, qvia grumescens sanguis ex arteriis in venas, imprimisqve ex dextro cordis sinu per pulmones in sinistrum ægre traiicit, & prolatus ad extremas arterias lentor, in eumqve agentes igneæ partes motus insoliti, sive molestiæ & caloris sensum excitant, ut refrigerationi locum qværat, & inqvietus æger fiat, atqve huc illuc membra iactet, spiritumqve anhelans ac crebro ducat, ad qvem a fermentescente in vasis pulmonum, tardiusqve progrediente sanguine incitatur. Ac quia musculi virium humanarum fundamenta sunt, roburqve suum ab elastico nervorum succo recipiunt, in promtu causa est, qvamobrem repentina virium oppressio statim a principio

 febris

febris adſit, eaqve maior, qvam qvæ ab incendio febrili proficiſci posſit, & cum dolore gravante ac contundente conjuncta; quia in illo turbato ſanguinis ſtatu ſecretio ſucci elaſtici in cerebro magis magisqve impeditur, & infarciens arterias, ac turgeſcens in iis lentor, harum diſtractione fibras quoqve muſculorum, membranarum & osſium, ac partium ceterarum, qvas qvidem arteriæ iſtæ peragrant, premit, tendit & divellit, triſtemqve adeo ſenſum affert. Eadem cauſa pulſus qvoqve debilitatur, ac relangveſcit, qvia ſuccus nerveus contractiles cordis villos minori copia & vigore irrigat, eiectioqve ſanguinis lenteſcentis in aortam, niſusqve debilior eſt, unde tangentis digitus minorem arteriæ impresſionem patitur. Eaqve naturali ſæpe ſimilis eſt, cum ſanguis minus intra vaſa tumultuatur, ſenſimqve congelare incipit: aut crebrior eſt, vel rarior, modisqve aliis variat, prout cordis, a fermenteſcente lentore ſtimulati, motus varius eſt, aut impeditus propter obſtruentem lentorem in ſua progresſione ſanguis, & variis modis repercusſus ac tumultuans, impetum in arteriam varie facit, aut opprimens elaſticas ſanguinis particulas lentor modis aliis micationem arteriarum turbat. Urinæ tenues & crudæ, minusqve coloratæ ſunt, aut ſanorum urinis ſimiles, vel crasſæ, rubræ, & variis fecibus permixtæ, quando ex concreſcente ſanguine vel tenuis tantum & aquoſa portio in renum tubulos ſecedit, retentis intra textum viſcidi duris, quibus urina tingitur, particulis. Vel hæ quoque cum liquato & ſoluto lentore ſecernuntur, & pro ſua varietate urinam varii coloris reddunt, ac ſedimentum, excremento ſimile conſtituunt. Sudores nulli, pauci, vel multi, calidiqve, vel frigidi ſunt, prout ex ſanguine lenteſcente vel vigore calidi, ſerum fundentis, maior, aut minor

co-

copia exprimitur, vel illud ſeceſſionem a ſanguinis coagulo faciens, ſuapte ſponte manat, ipſiqve canaliculi glandularum cutis vel liberi ſunt, & patentes, vel obſeſſi a lentore, & obſtructi. Qvia vero pars colli ſuperior tota glanduloſa eſt ad fauces, ubi maxima copia glandularum inſignium ſtatim ſub cute, pectus vero continuo movetur, & ad tempora pariter, & ſtatim ſub cute parotides: igitur ex hiſce partibus multo major, quam ex ceteris, liqvidi copia exſpirabit, & ſudor, inprimis ad collum, tempora & pectus obſervabitur. Hinc etiam alvus vel clauſa, vel aperta, variaque eſt, cum pauci vel multi humores ex meatibus biliariis, & glandulis pancreatis ac inteſtinorum ad horum canalem derivantur, qui ſi mobiliores fuerint, ac alvum minus adſtrictam offenderint, qua datur via, effluent, aut impediti in fluxu naturali, in ipſum ventriculum regurgitabunt, atqve per vomitum reddentur. Qvanqvam ea interdum ex ſtimulo qvoqve illis partibus impreſſo, vel inflammatione earum interdum eveniunt. Non raro ſanguis ex naribus, utero, vel alvo, diverſa copia mittitur, qvando vi ebullientis ſanguinis lentoremqve protrudentis, extremæ & debiliores arteriæ rumpuntur, continuatoqve illius impetu vel diutius apertæ ſervantur, vel a ſuccedentis lentoris viſco, aut ceſſante ſanguinis impetu, coeunt iterum, & clauduntur. Nauſeat ſtomachus, & dolet, ſitisqve præter modum urget, qvia a lentore inviſcante, obſtruente, premente, divellente, aut ſecante fibras ac poros canalis alimentorum, læditur ſecretio lymphæ, os, fauces & ventriculum irrigantis, & vel plane cohibetur, vel ſucci tantum viſcidi & acres ebullientes, calidique, e ſangvine mittuntur, intusque agentis caloris & fermenteſcentium ſuccorum vi, ſicciores, acres

cres, calidæqve partes per gulam, cannamque pulmonarem difflantur, quarum acie & agitatione vehementius commoventur villi illarum partium, & exſiccantur, fatiſcunt ac finduntur. Qvas qvidem moleſtias ſæpenumero inflammationes ventriculi, faucium, vel pulmonum, aut partium vicinarum, augent. Perit autem ſitis, ardorisqve ſenſus, quoties per prædictas cauſas papillæ nervorum lingvæ, & palati, vel lentore quodam profundius impacto obducuntur, vel ita exſiccantur, & arent, ut totæ dirigeant, nullumqve adeo tremorem ab exhalationibus illis recipere poſſint. Excruciat dolor capitis cum vertigine, & gravis tundensque redditur, propter diſtractionem inſolitam fibrarum ac membranarum capitis a pulſationibus arteriarum, intra qvas colluctantes humores tumultuantur, atqve hoc gravius, qvò difficilius fermenteſcens lentor moveri, provolviqve per vaſa poteſt. Isqve infixus eſt uni parti, cujus arteriis pertinacius lentor inhæret, nec abripi in venas poteſt: Aut qvando is in hunc, aliumve duræ matris ſinum impulſus, inibi ſedem figit, & fermenteſcit. Cumqve lentor ipſos cerebri poros, ejusqve liqvidum inqvinat, ſopor, & inexpugnabilis dormiendi neceſſitas urget. Aut vigiliæ fiunt, cum minus temperatæ, igneæ & elaſticæ partes cerebrum intrant, roremqve ejus diſſipant, & fortius, continuoqve agitatæ, vividiores motus, ſomno contrarios, moliuntur, ipſæque adeo cerebri fibræ vehementius tenduntur, & tremunt. Sequitur delirium, cum ex iisdem, aut fortioribus ſubinde cauſis, inprimis vero ex inflammatione arteriarum cerebri & meningum, partes liqvoris nervei minus cohærent, nullaque adeo lege, & ordine, per fibras cerebri ac nervorum feruntur. Unde ſpecies qvoqve varias ſine lege, & ordine,

& cogitationes plurium rerum minime cohærentium, ſive deliria fiunt. Quibus facile convulſiones ſuperveniunt, qvando partes liqvidi nervei atqve elaſtici minus cohærentes, ſine voluntate, ſuopte impetu per nervos moti, aut fortiori cerebri compreſſione propulſi, illapſu inæqvali in villos motrices muſculorum excidunt, eosdemqve contrahunt. Qvo etiam multum facit preſſio ab inhærente ac tumultuante in arteriis, muſculos perreptantibus, lentore, & nimia ac inæqvalis villorum ſiccitas, qvibus cauſis hi corrugati, contractive, variarum partium involuntarios motus efficiunt.

XV.

Atqve ita porro, quæ reliqua ſunt phænomena, ex eodem lentore ſangvinis fermenteſcente facile ducuntur. Cujus quippe portiunculæ per venas intus ſubeuntes, & in ventriculos cordis delatæ, fibris eorum, columnisqve & valvulis facile implicantur, atqve in polypos concreſcunt, & debilitando pulſantem cordis motum, ut aut lentius procedat, aut ſiſtatur aliqvanto, qvam par eſt, diutius vitalis ille ſangvinis humorumqve omnium in corpore circulus, crebras ſyncopas, atqve deliquia animi pariunt: Extrorſum vero effuſæ per arterias, extraqve vaſa protruſæ, modo uberius congeſtæ, vibices inducunt, modo parcius & ſparſim erumpentes, in maculas tantum, aut ſtigmata, & exanthemata, varii coloris, pro varietate materiæ, in cute effloreſcunt, ſæpeque univerſi corporis gangrænam, aut carbunculum referunt. Plerumque vero major lentoris copia interioribus in partibus, atque viſceribus inſidet, horumque arterias infarciens, & ſanguinis a tergo inſequentis flumini obice poſito, varias inflammationes gignit, quæ ad putredinem vergentibus humori

moribus interceptis, in gangrænam demum & ſphacelum abeunt. Atque hi quidem ſubinde ſudore quodam frigido perfunduntur, atque cadaveroſum ſæpe fætorem, tanqvam ſignum clam invaleſcentis νεκρώσεως, & vivum iam ſenſim computreſcere hominem, aliquot ante mortem diebus exſpirant, illorum more, qui gangræna, ſphaceloque pereunt.

XVI.

Hinc vero cauſa contagii liquet; quippe exſpirationes a morbidi corporis fermenteſcentibus ſuccis exhalantes, circumfuſo aëri permiſcentur, quæ fermenti naturam æmulantur, moleque ſui minima morbi maligni ſemina in alia corpora propagant, dum permixta ſangvini partes ejus ad ſui motus officia adducunt, & naturalem illarum motionem confundunt. Neqve vero raro illæ exſpirationes olfactu percipiuntur, in peſtilentibus præſertim febribus, de qva re laudatus a nobis *Petrus Salius* legi meretur. Qvo loco memoria dignum eſt, quod Celeberrimus *Meibomius* ex literis Nicolai de Clemangis, quas ad Jo. de Monſteriolo dedit, refert, illum loca, contagione inquinata, odoratu percepiſſe, tanquam dulcem ab amaro cibo guſtu ſecerneret. Rogavit idem, ut ſibi accredatur, qvod confirmet, eſſe veriſſimum. Rarum præterea odoratus exemplum in eo obſervat Vir Cl: quod in conſtitutione quadam epidemia *ad tantam villæ infectæ diſtantiam, qvantum poſſet bis arcus jactare, id perceperit, & tam graviter a foetore habuerit, ut nares occludere coactus, vix vitalem ſpiritum ducere potuerit, nec tamen qvisqvam præſentium talem odorem perceperit.* *In peſte Oſtendana*, inqvit *Helmontius*, *fracedo peſtilens ſoleas crematas olebat, atqve ab hoc odore peſte infectos dignoſcebam.* Et authOR diligens, *Isbran-*

l. c. c. 9.

Diſſ. de febr. mal.

Tumul. peſt.

Isbrandus de Diemerbroeck, *illud*, ait, *notatu dignum ſæpe observavimus, nempe in illis ædibus, in qvibus nulla adhuc peſtis erat, ſi linteamina ſordida, aqva & ſapone noſtrate, ut in Belgio moris eſt, illic lavarentur, eo ipſo die, vel interdum poſtridie, duos tresve peſte correptos fuiſſe, ipſiqve ægri teſtabantur, fœtorem aqvæ ſaponatæ illis primam & maximam alterationem intuliſſe.* Inprimis vero halitus, e jam moribundis emiſſos, contagii vim roburque augere, triſti adſtantium experientia ſæpe compertum. Quippe moribundorum calor jam pene extinctus, omniqve vigore privatus, putrida miaſmata amplius attenuare atque diſcutere nequit, ideoqve craſſas tantum & tenaciſſimas exhalationes emittit, qvæ obvio cuivis corpori facile adhærent, atque in fomitem abeunt. *de Peſte L. II.*

XVII.

Sed contendamus ad Prognoſin, quoniam de ſignis Diagnoſticis ſupra, id eſt, ſuo & genuino loco, ſatis jam diximus. In ea vero ſummam dare oportet operam, ut circumſpecte & prudentiſſime agamus, ne prono nimis faciliqve judicio quicquam concludamus, & in falſas ruamus prædictiones, ſed illud ſemper in animo habeamus, quod ſapientiſſimus vir, *Hippocrates*, monuit: *In morbis acutis non omnino certas eſſe prædictiones ſalutis, aut mortis.* Qvod ſi enim in morbo ullo acuto, in hoc certe, qvi ſæpe in fronte ſalutem, in occipitio funus gerit, omnia ſunt infida. Qvemadmodum rerum magiſtra, experientia teſtatur, id qvod *Celſus* jam olim annotavit, *ſpem ejus interdum fruſtrari, & mori aliqvem, de qvo medicus ſecurus primo fuit*, & contra inopinato vires valetudinemqve recuperare, qvi deſperantibus omnibus prognoſtico relictus fuerat. Inprimis vero cavendum eſt, ne urinæ, *S. II. aph. 19.*

vel pulſui, fallacisſimæ rei, fidamus, ſed ad mores, & magnitudinem morbi oculos atqve animum dirigamus, & qvo vires fortiores, ac ſymptomata mitiora ſunt, eo meliorem morbi eventum ſperemus. Ac contra, qvo vires debiliores, atqve ſymptomata graviora, eo etiam periculoſiorem morbum, eventumqve adeo minus ſalutarem judicemus.

XVIII.

In Curatione providendum eſt, ut principiis obſtemus, matureqve lenteſcentem ſanguinem diſſolvamus ante, qvam fermentatio maligna accendatur, aut qvam primum ea vel leviſſimis ſignis ſe prodere cœpit. Qvæ ubi toto jam corpore exarſit, vix remediis locus eſt, aut ſaltem minus ſalutariter adhiberi poſſunt, quæ antea maxime profutura erant, Nam ſi in ullo morbo, hic profecto occaſio præceps eſt. Qvod bene perſpiciens antiqvitas, occaſionis præcipitem lapſum fluenti aqvæ comparavit. Nam qvemadmodum qvis digitum in fluvium immergens, mox extrahens, & ſubinde denuo immergens, non eandem tangit aqvam: ita ſingulis horarum momentis corpus ægrotantis variat, & agendorum præterit occaſio, hoc præſertim in morbo, ubi præſens moræ exitium, atqve aut a parata Medicina vita, aut a neglecta mors expectatur. Cum enim lenteſcere ſangvis incipit, facilius is fluori ſuo reſtituitur, qvam ubi turbato jam, confuſoqve mixtionis ordine, in lentam, liquidamqve maſſam abiit, & acrius fermenteſcit. Quæ mihi cauſa eſſe videtur, qvamobrem initio, ubi graſſari hæ febres cœperunt, antequam ſatis cognoſcantur, multi pereant, qvod tardius, nec niſi adulto demum morbo, & ubi ſanguis in polypoſas concretiones faceſſit, remedia demum, eaqve ſæpius minus apta, adhibeantur.

XIX.

Itaqve præcipua curationis ſpes in ſudoriferis ſita eſt, qvibus ſtatim initio mali, cum laſſus & anxius homo fit, aliaqve imminentis fermentationis malignæ ſigna apparent, aut ubi ea vel levisſimo horrore indicari cœpit, in fluorem re-

digan-

digantur, qvæ tardius moventur, & implicari, in fibrasqve coire incipiunt partes ſangvinis, & ejectis per poros cutis turbantibus, ac peregrinis ſeminiis, nativum globoſumqve particularum contextum humores recipiant. Id enim non tantum rationem præſcribere, ſed etiam experientia comprobari, plurimos, febribus malignis laborantes, ſudoriferis feliciſſime curatos fuiſſe, recte *Sennertus* contra Minadoum & *l. c. c. 11.* alios animadvertit. *Comperiqve ſæpe*, addit, *febres, qvæ primo continuæ erant, & malignitatis ſuſpicionem præbebant, levis ſudoriferi & bezoardici uſu in benignas & intermittentes mutatas fuiſſe.*

XX.

Cum autem non unius generis ſint ſudorifera remedia, hic omnibus aliis præferrem, qvæ & tenuium, & maxime mobilium partium ſunt, facilimeqve in vaſa eluctantur. Cujus quidem generis ſunt ſales volatiles, ſimplices, vel oleoſis, aut acidis partibus temperati: Sal. nimirum vol. & ſpir. ſal. ammon. C.C. ebor. viper. tartar. ſuccin: liqvor. C.C. ſuccinatus, ſpir. bezoard. ſal. volat. oleoſ. arcan. tartari vol. ſive ſale vol. CC. aut viper. ſaturatum, & ſal illud vol. oleoſum, nobiliſſimum in malignis, camphora, atqve ex iisdem varia compoſita, inter qvæ maximæ efficaciæ eſt ſpiritus bez. compoſ. ſive aqva alexicaca, qvæ ex eſſent. myrrhæ, & radicum quarundam bezoard. cum ſpir. C.C. ſpir. ſal. ammon. vinoſo, ſale vol. CC. viperar. ſuccin & camphora, certa proportione mixtis, conficitur. Porro mixtura diaphoret. in peracutis, tincturaqve bezoard. non qvidem ex phlegmate acido, qvod vulgo fieri ſolet, ſed ſpir. tart. acri vol. paratæ. Hisqve ſalia illa vol. oleoſa, atqve anodyna & temperata, theriacam & diaſcordium Sylvii, merito addimus. Qvorum qvidem alia atqve alia, puriora, vel cum aliis convenientibus, de qvibus paulo poſt dicturi ſumus, permixta & temperata, prout cujusvis ægrotantis, morbiqve natura & conſtitutio ſiverit, adhiberi poſſunt. Id qvod præſentis Medici judicio & prudentiæ relinqvendum eſt. Nec vero hoclo-

co omiserim, qvæ experientia & judicio præstans Vir, *Dan. Ludovici,* qvi scriptis suis multos præclaros Germaniæ Medicos erudivit, de usu & abusu illorum remediorum monuit. Loqvatur autem ipse, qvando multos, qvos qvotidie comperimus, de medendi usu & loqvi, & scribere docuit. *Anteqvam selectum instituamus, id tantum impræsentiarum incipientium causa addimus: ne ab una quidem parte, (per bezoardicos, consimilesve titulos, promissa ac indifferenter nunc nonnullibi præscribentium exempla seducti) volatilioribus, calidioribus atqve fumosis liqvoribus atqve mixturis inconsideratius nonnunqvam abutantur: Ceu talibus circa malignarum statum (speciosa quidem de causa) demum vel denuo exhibitis, haud raro novas angustias, ac dissolutiones virium funestas; in variolis ac morbillis, (non adeo malignis) frustraneas ebullitiones, intensiores æstus, & insurgentis naturæ confusiones: præcipue vero nimis camphorata in eruditis, debiliore capite, tenerioribusqve foeminis, cephalalgias incompescibiles, atqve deliria sæpe lethalia, &c. per circumspectam temperatiorum, simul præcipitantium, vel etiam figentium adbibitionem haud difficulter evitanda, plus vice simplici concitata vidimus. Ne porro & ab altera parte circa malignarum plerarumqve, pleuritide quoque, aliterve comitatarum principia, vel etiam, (uti diversimode consulimur) augmenta, complicatos interdum intensissimos fervores, cephalalgias, hæmorrhagias (præsertim in plethoricis, cholericisqve) magis qvam par est, veriti, nimium a volatilioribus, præsertim salinis, (semet facilius resolventibus, minoresque calores præ pure sulphureis excitantibus) abstineant, & fixioribus solum, at rarissime tum sufficientibus) semet expedire conentur; aut more hodieque non infreqventi abusivis illis Venæsectionibus, imo Laxativis quoque, vel Clysterisationibus commodiores cum viribus horas prius terentes, post festum demum Diaphoretica advocent.* Qvocum idem sentit Doctissimus *Ettmullerus*, qvando in febrium malignarum curatione salia vol. sub principio exhibita, primatum ducere, affirmat. Multos alios prætereo, qvi alia in principio mali, alia in statu convenire, in eoqve omnem medendi vim ac facultatem positam esse, experientia didicerunt.

Pharm. Diss. 1. p. m. 102. seq.

Diss. de præcipit. p. 72. 75.

XXI.

XXI.

Sudore igitur ſemel atqve iterum commoto, fermentatio lenteſcentium ſuccorum ita temperanda, ne illa commotio ſangvinis plus æqvo vel intendatur, liqvidumqve vitale conſumat, ac diſſipet, vel cohibeatur, ſed ea ratione prudenter regatur, ut diviſio minimorum ſangvinis, quam intus agentes, igneæ atqve elaſticæ partes moliuntur, recte adjuvetur, qvo ſoluta univerſa humorum maſſa, & ſecretis, excretiſqve noxiis particulis, priſtinus ſangvinis curſus, ac circulus vitalis reficiatur. Id qvod a remediis diaphoreticis expectandum eſt, iis præſertim, qvæ bezoardicorum, alexipharmacorum atqve cardiacorum titulis ſuperbiunt, eoqve nomine veniunt, qvod ſuarum partium acie, ſoliditate, rigiditate, pondere & ſcabritie, ad coagulum & ſecesſionem pronos humores, atqve lentorem ſangvinis, plexusqve fibrarum incidere, atterere, divellere & diſcerpere, unaqve impetum acrium & ebullientium particularum temperare, idqve conſtanti ſua, qvam a motu ſangvinis recipiunt, agitatione efficere poſſunt, ut partim per cutis, renumqve poros, ac excretoria alia, humores expellantur, partim debitam figuram, motumqve recipiant, aut idonei ſaltem fiant, qvi per diaphoreſin & renes, aliave qvapiam commoda, innoxiaqve excretione paulatim ſegregentur & excludantur. Qvalia ſunt, qvæ ex animalibus, vegetabilibus, atqve foſſilibus magno numero ſolent depromi. Scord: angel. carlin. contraverv. petaſit. ſcorzon. zedoar. cort. Peruvianus, (qvem propter ſaporem amariſſimum, & craſſa rigidaqve ſalia, terreis permixta particulis, merito huc referimus) ſales herbarum lixivi, myrrha, C. C. ebur, bez. anim. ex viperis, unicorn. mar. dens eq. mar. dens apri, mandib. luc. piſc. margarit. harumqve teſtæ, lap. & chelæ cancrorum, lap. bez. or. (cujus ſufficiente copia humores egregie diſſolvi, ſudoremqve facile moveri novimus) & occ. corall. corallina, ſuccin. fl. ſulph. unicorn. foſſ. bol. Armen. terr. ſigill. arcan. dupl.

duplic. nitr. antimoniat. lapid. pretioſ. antimon.diaph. bezoard. min. ſolare, lunar. Jovial. martial. cinnab. nat. elect. & antimon. Ex qvibus in tenuisſimum pollinem redactis, diverſi pulveres, diaphoretici & bezoardici, confieri ſolent, inter qvos crebrioris uſus ſunt: Pulv. Alexiter. Pannon. rub. Anglic. Mantuan. Marchion. gryſ. Cæſ. bezoard. D. Sennert. bezoard. cum & ſine pretioſ. ſpec. cordial. temperat. liberant. de gemm. cal. & fr. de hyacinth. contra peſt. Ferd. I. Qvæ qvidem remedia tanto numero extantia prudenter miſceri, & pro fermentationis ſangvinis, atqve urgentium ſymptomatum varietate, additis ſalibus vol. camphoratis, antimoniat. nitrat. cinnab. theriacal. vel aliis anodyn. adhiberi poſſunt, in liqvida præſertim potionis forma cum aqvis ſtillat. diaphoret. bezoard. & cordial. qvas vocant, ſimplicibus, & compoſitis, diluentibus qvippe, ſerumqve vitale, & rorem cerebri atqve nervorum inſtaurantibus, diviſionemqve minimorum ſangvinis, ac exſpirationem corporis egregie promoventibus.

XXII.

Qvæ qvidem non intermiſſo uſu uſurpanda ſunt, qvo ſufficiente eorum vi ſubigatur, disſipeturve per blandum ſudorem cauſa mali, atqve ad motus naturalis leges redigatur ſangvinea maſſa. Ut autem vires inſtaurentur, neve in ipſa lucta fatiſcat æger, refocillantia denuo remiſcere iis, vel interſpergere, utile erit, inter qvæ confectio alchermes cum ambra & moſcho palmam tenet. Eaqve ſi decocto C. C. cum ſcorz. vel aqvis ſtill. cord. H. S. frig. fl. namph. ſcorzon. ſcord. galeg. borrag. ſcabioſ. card. ben. ſambuc. ceraſ. nigr. & ſimilibus miſceatur, jucundum & recreantem potum reddit, qui magnam ſalutis partem ſuſtinet, præſertim ſi gelatinam C. C. vel ebor. ſolutam contineat, qvi certe potus plus ſæpe efficiunt, qvam multa arte præparata remedia. Neqve ignotum amplius eſt, qvantam vini Rhenani, poſt ſudorem præcipue, modicus uſus

ſus recreandi vim habeat. Interdum qvoqve locus erit tincturis & ſuccis, atqve acetis medicatis, ſpiritibusqve acidulis, potu copioſo dilutis, & ſpirituoſis, theriacalibus atqve pulveribus bezoard. permixtis, utpote qvibus grumeſcens ſangvis non diſſolvitur tantum, ſed etiam ejus conſiſtentia conſervatur, & tonus ac robur fibrarum motricium confirmatur.

XXIII.

Cum exinanitionibus autem, qvæ purgatione, vomitione, venarum inciſionibus, vel veſicantibus fiunt, caute agendum eſt, cum neutra illarum a fermenteſcente, & lenta, liqvidaqve ſangvinis maſſa indicetur. Verum cum non univerſi homines, ſed ſinguli curentur, ac ſubinde ſingularia qvædam occurrant, qvæ pro cauſæ antecedentis, vel ægrotantium pariter, atqve anni conſtitutionis, aut urgentis cujusdam ſymptomatis conditione, hanc illamve eductionem, cum utili ratione inſtituendam, poſtulant, peropus eſt magna rerum circumſpectione, ne illis exinanientibus remediis promiſcue utamur, & afflictam jam ac irritatam naturam temere laceſſamus, & magis magisqve turbemus, neqve tamen opportunam agendorum occaſionem omittamus. Eqvidem ſæpius exiſtimaverim, ſola ſudorifera atqve diaphoretica ſufficere. Poteſt tamen evenire, ut præterea blandum vomitorium, vel laxativum, ipſaqve inciſio venæ interdum proſit. In veſicantibus vero remediis nihil hic laude dignum reperio, præterqvam ſtimulum, qvo, dum fibroſum & vaſculoſum cutis contextum ſecant & pungunt, dolorem excitant, & lympham non corruptam ac venenatam, ut vulgo volunt, ſed vitalem ac nutritiam, exhauriunt, ipſumqve liqvidum nerveum, neqve remediis, neqve potione facile reſtituendum, diſſipant, viresqve adeo non parum dejiciunt. Qvibus proinde non temere utendum eſſe arbitror, nec niſi eo caſu, ubi fortiori ſtimulo concutiendum genus nervoſum, atqve a ſopore excitandus æger eſt. In qvam rem non prætermittere poſſumus, qvod contra vulgarem opinionem Doctiſſimus *Lucas Tozzi*, Neapolitanus, cui dignitatem Pontificii Archiatri Cl. Mal-

Comm. in Aph. Hipp. p. 63.

pighius reliqvit, annotavit: *Grassante hic Neapoli anno 1679. morbosa nimis & pestilenti fere constitutione, experti sumus, eos, qvibus partes vesiculas excitantibus inustæ nihil profunderent, & sponte sanescerent, brevi convaluisse; periisse vero, qvi bene ab illis habere credebantur, plurimum ichoris effundentes. Sic a medicis decepti, qvi salutaria putant, qvæ madefacta comparent, ac multo ichore scatentia. Qvo sane factum, ut non infimæ notæ viri, & præ cæteris solertiores agnoverint, ægrotantes, qvos fors per ulcerantia hæc medicamenta non sustulit, consanuisse qvidem, at non ab illis.* Qvæ cuncta probe considerans industrius morborum epidemiorum indagator, *Th. Sydenhamius*, scribit: *Hoc pro comperto habeo, ex multiplici accuratissimarum observationum fide, prædictas morborum species, præsertim continuas, ita toto, qvod aiunt, cœlo differre, ut qva methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipsa, anno jam vertente, forsitan e medio tollas.* Et paulo post ingenue confitetur, se nunqvam satis cavisse, ne, qvi primi se ejus curæ commisissent, vita periclitarentur, donec multiplici observatione, ac perspecto morbi genio, ad veram curationem recto pede procederet. Ex qvibus judicemus licet, qvanta prudentia & circumspectione hic opus sit, qvam certe adhibebimus, si a via regia non deflexerimus, atqve ad omnes circumstantias accurate attenderimus, nec qvicqvam, qvod agere conveniat, prætermiserimus, idqve imprimis observaverimus, non solum turpem esse calamitatem, ægrum, epoto medicamento, occidere, ut aiebat Hippocrates, sed etiam, si, detracto sangvine, paulo post intereat. Nobis uti in aliis, ita in his præcipue morbis, ubi neqve tempus datur deliberationi, neqve mutationi remediorum, nihil videtur perniciosius multis auxiliis, & polydædala pharmacorum turba. Ac fateamur necesse est, satius sæpe esse, langventes naturæ, qvam medicis concredi, qvi tempora morbi, & causas, naturasqve ægrotantium, ac constitutiones anni, parum distingventes, perniciosa plerumqve adhibent remedia, & necant miseros, qvi vel sola diæta, & qviete servari potuissent.

Mantissa.

Michaëlis Lyseri Obs. med. XI. de lactis mira in duabus mammis diversitate similem nuper, cum domi degerem, annotavi. Uxor enim honesta primum pariens, more solito mammas nacta est lacte turgidas, cumqve infantulum iisdem admoveret, observavit, eundem, utut valde sitientem, alteri mammæ admotum, papillam subito dereliquisse, non sine insigni corporis horrore, & facieidetorsione; alterius vero mammæ papillam avide arripuisse, adqve satietatem corpusculum lacte matris dulci replevisse. Mater horum omnium ignara, neqve differentiam mammarum animadvertens, neqve aliqvo doloris sensu admonita, admiratione afficitur haud levi; tandem vero lac emulget exutraqve papilla, & animadvertit tantam in alterius mammæ lactis salsedinem, ut ipsamet nausea corriperetur; cum alterius lac consueta dulcedine palato abblandiretur. Ego arbitror ductus lactiferos qvacunqve de causa in hac mamma configurationem, renibus similem, contraxisse, adeoqve evenisse, ut cum lactea substantia magna particularum rigidarum, atqve acutarum, sive salinarum, copia ex arteriis mammariis illos ductus simul subierit.